tolleret, ac *nomen super omne nomen exaltatus acquireret a* & ut dictæ prius de hostibus pœnæ sumerentur, tum vero ut qui tam augustum & divinum caput depresserant, quique deinceps idem facere niterentur, ne caput religio Christiana tollere posset, eorum capita conquassarentur. *Torrens* quoque sumi posset, pro vehementi crucifigentium Christum ira, si de judicio sermonem esse placeat, accipietur impiorum interitus per eamdem figuram Nec longius omnino ab hoc abeunt sensu, qui volut persistendo in descriptione magnæ stragis edendæ, hic dici tantam fore, ut rivi fluant per vias cruoris, in quibus non tantum *pes intingi*, b & *manus lavari*, c sed etiam bibere quivis si libuerit possit. Simile Balaami vaticinium, *d* quam vis alio spectans: *ecce populus ut leæna consurget, & quasi leo erigetur: non accubabit donec devoret prædam, & occisorum sanguinem bibat*. Talis quoque formula, qua dicuntur *sagittæ inebriari sanguine, gladius devorare carnes de cruore occisorum*: e item *gladius devorare & saturari, & inebriari sanguine*. *f* Nec dissimile carmen Poetæ. *g*

—— bella horrida, bella
Et thyrim multo spumantem sanguine cerno,

Item:

h Mundant sanguine fossæ,

Scitum quoq; illud de Thomiri, qui Cyri devicti caput dolio includens pleno sanguine, dixit: (Satia te sanguine, quem sitisti. *i*) Non redditur quidem hoc pacto ratio illa ex humilitate Christi, tamen declaratur insignis effectus victoriæ, quam ille, aut per illum Pater, aut illi Pater peperit. Qui de Abrahamo, vel Davide declarant, pridem sunt explosi. Quare frustra laborant nec verisimiliter etiam loquuntur, qui rerum affluentium, terræq; fertilitatem Abrahamo concessam interpretantur aut Davidi facultatem dandam, ut libere, secure, sine timore bibere ante hostes suos posset; aut ei adeo abundanter crebroq; dufluxuras in via, ut non desideraret aliunde, sicut aliquando desiderav it de Bethleem: *k* aut quum idem David fugiet Saulem, petiturum deserta non abiturum persugii gratia in torrentem, sed obiter bibiturum, & in transcursu: aut eumdem fore strenuum militem; similem iis qui sub Gedeone merentes, biberunt de aqua torrentis, *l* Perstringit Maldonatus noster hasce ineptias omnes vel Hebræorum, vel Hæreticorum quæ avellunt, ut alia omittantur, psalmi sensum à Christo, Eugubinus præterea refellit alias Hebræorum explanationes, prævaluturum populum Israel, qui genus ab Abraham duceret, contra Ægypti Regem, ubi Nilus decurrebat in morem torrentis, & quo ille gloriabatur, Ezechiam de Davidis stirpe victoriam contra Sennacherib divinitus reportaturum, qui gloriabatur bibiturum exercitum suum aquam Jordanis: adeo pavore afficiendos inimicos David, ut de torrentibus necessario bibant fiti confecti, ut contigit Dario Alexandrum fugienti: tantum copiarum Davidi futurum, ut fontibus non sufficientibus, accurrant ad torrentes. A vero ubi aberraveris, in varios abire errores necesse est. Consistendum in sensu de Christo, qui veritas est. Excutiamus attentius singula.

De torrente in via bibet) Legunt & exponunt quidam in præterito, *bibit*, etiam Genebrardus, cum omnes translationes, & Psalteria, & plurimi enarratorum legant in futuro, in quo est ישתה *iſtheb*, & *mirum*. Quamquam nihil propterea variat sensus. Si legeremus ישתה *jaſtheb, in biphil potabit*, idest, *bibere facies*, intelligeretur de Patre, qui tantam hostium stragem in gratiam Christi jussi à dextris sedere, donec subigeret illos, editurus esset, ut cuivis, ac ipsi Christo, si veller, liceret large manantem cruorem bibere. Paraphrastes explicat; *ab ore Prophetæ in via doctrinam accipiet*, quasi velit significare. Christum traditurum fuisse doctrinam ex ore Prophetarum: quos & aliquando protulit, ac nominatim in synagoga Esaiam. *m* Basilius, aliusve Theodoretus, Chrysostomus, aut alter, Euthymius, verus Chrysostomus *n* Justinus, * experientiam exponunt vilis ac tenuis victus, ita ut sicut hordeaceis vescebatur panibus, ita biberet obviam *torrentis* aquam, seu ambulans in via, ut quum poscit aquam à Samaritana fatigatus ex itinere. *o* Justinus in genere ait, prædici δτι σπανιῶς ἐν ἀνθρώποις ἄνθρωπος *quod humilit esset primum homo*. August., & plures Latinorum, ipsam conditionem, & profluxionem mortalitatis, idest, nascendi ac moriendi, quam Christus in hac

a Phil. 2. 9.

b Psal. 67. 24.
c Is. 57. 11.
d Num. 23. 24.

e Deut. 32. 42.
f Iet. 46. 10.
g Virg.

h idem.

Thomiris de Cyri capite dicta
i Just. lib. 1.

Expositiones minus probabiles explosæ.

k 2. Reg. 23. 15.

l Iud. 7. 5. 6.

m Luc. 4. 27.
n hom. 30 in Joan. & hom. 57. ad pop. & 17. in Matth.
* in Tryp.
o Joan. 4. 6.

A vitæ via subiit, interpretantur: ob similitudinem cum torrente, qui ex pluvialibus aquis collectus redundat, perstrepit, currit, currendo decurrit, cursum finit. Quarto alii speciatim volunt denotari passionem, ac tormenta, varias tribulationes; sic rursum Theodoretus, & Euthymius, ac præterea Nicephorus Blemmida, putatusque Hieron., Eusebius, *p* Arnobius. Theodoretus confirmat, quoniam crux *calicis* nomine appellatur: *q* Judæos vero qui eam ipsi procuraverunt, vocat *torrentes*, quia divinæ gratiæ aquis siccati sunt, & lege quam Prophetæ velut nubes suppeditaverant: Arnobius quia præcipiti sævierunt iracundia in Christum. Affert Eusebius ex alio psalm. *r torrentem pertransivit anima nostra*. Hieron. quem vocant attendit torrentis conditiones, quod non habet aquas naturales, ac semper fluentes, sed de tempestatibus, pluviis, turbine; procellis: numquam est in montibus, sed semper in vallibus, & in præcipitibus locis: alienas aquas concipit, & parturit, tumesq; vadit: non habet umquam aquam mundam, sed semper turbidam: Christum dixisse *tristem esse animam suam, cæpisseque B contristari, & conturbari*. *s* Alludi quoq; vult ad *torrentem Cedron* (quod & sub nomine Cypriani Auctor sermonis de Cœna Domini observat) quem Christus sub mortem transgressus est: *t* significatq; tenebras, ut esset conveniens perditioni locus, hoc est, operi principis tenebrarum. In eadem versatur sententia Gregorius, *u* docens afflictionem vitamque Christi patientis cito transisse ad similitudinem aquæ torrentis; gloriam stabilem, perpetuamq; esse. Præterea Christum *bibisse de torrente in via*, quia mortem in transitu gustavit: sed hoc quod moriendo in sepulchro posuit, refurgendo super Angelos elevavit. Idipsum sibi vult Hieron., *x* explanans Esaiam y juxta Lxx. *transibit in pace via pedum ejus*, & secundum vulgatam translationem: *transibit in pace, semita in pedibus ejus non aparebit*. Nam dicit sensum esse, quod viæ laborem non sentiet, nec aliquam imbecillitatis humanæ lassitudinem (nempe quæ diu duret) sed *de torrente bibet in via, & propterea lævabit caput*. Idem adhuc alibi *z* eamdem clarius tradit sententiam, *de torrente* pro calice passionis, quem quum à se Christus deprecaretur, con- C siderans majestatem suam, subdidit: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*, *a* eo quod videret se esse in hac Ægypto, & via hujus sæculi, & aquas non posse mundari, nisi ipse potasset. Ericus *b* præterea, idcirco ait die tertia Christum resurrexisse, quia Auctor vitæ diu à morte teneri non potuit, sed mortem nostram in transitu gustavit. *c* Vigilius *de torrente in via bibet*, inquit, idest; de fluvio mortis humanæ, *propterea exaltavit caput*, quia mortē gusta vit. Affert similem locū ex epist. ad Philipp., *d humiliavit semetipsum*, &c. Bernardus *e* distinguit quinque torrentes, crudelitatis & malitiæ, nempe Cison, apud quem Jabin occiditur: *f* philosophialis eloquentiæ, scilicet Cedron, ultra quem Jesus egreditur; passionis & angustiæ, nimirum in via, de quo Jesus dicitur bibisse; cœlestis sapientiæ, apud quem Elias pascitur: jucunditas & lætitiæ, quo porrantur electi. Eodem refert quod alii dicunt *de torrente* proprii sanguinis fusi in horto: per publicas vias, prætorianum palatium, regiam Herodiis, atria: basilicas, fora, compita, plateas, deniq; in cruce bibere potuisse Christum. Sic Pradus noster. *g* Placet D quoq; Canisii nostri *h* pia meditatio, Christo sic impleto fluxisse *torrentem* matrem compatientem, & hac similiter repleta, ad Filium redundasse inundationem amaritudinis, & mœroris. Adde omnibus propinari à Christo dicente: *calicem meum bibetis*, *i* & *de torrente*, quem bibi bibetis, si volueritis mecum regnare, & *voluptatis potari torrente k*. Quintus posset esse sensus, quem Theodoreto quidam / non jure tribuit, subiiciendum fuisse Christum legi veteri, quæ tamquam *torres* transitura erat, & defectura. Sextus Hieron., *m* Christum in torrente traditū esse, ut ante dixi, dedicando generationem nostram, & baptismi Sacramentum: quia vero perfectus erat, hunc *torrentem* non aruisse, quemadmodum aruit ille de quo bibit Elias. *n* Convenit baptismo nomen *torrentis*, quia continet aquas cœlestes, idest, quibus de cœlo vis communicatur. Septimus recentis Auctoris, *o* Christum *bibisse de torrente in via*, quia de subſtātia divinitatis Patris sic susceptum, ut fieret ipse *torrens, via caput*, quod ita Pater *exaltavit, ut donaret illi nomen super omne nomen*. *p* Durior ac minus proprius sensus, quia qui de subſtantia Patris divinitatis susceptus, estque ut ille *torrens, via caput*, non *exaltatur: nomenve accipit super omne nomen*. Dignitas

p 5. de monst. c. 3.
q Matt. 9. 22. 23. exp. 20. 29.

r psal. 123. 5. Conditiones torrentis.

s Joan. 19. 28.
t ps. 18. 6.

u 14. Moral. cap. 27. vel 29. & lib. 33. c. 6. hom. 25. in Evang.

x in cap. 41.
y Esa. 42. 16.
z in Abac. c. 2.

a Matt. 26. 39.

b in Evang. ferm. 4. post Dominic. 2. Quadrag.
c 5. cent. 72. Eutychem.

d cap. 2. 8
e in fest. Quinque torrentum distinctio.
f Ps. 82. 10.

Meditatio pia.
g in Ezech. exeg. num. 6.
h 4. Despar. cap. 28.

i Matt. 20. 23.
k Ps. 35. 9.
l Sixt.

m quæst. in Gen. in c. 26.

n 3. Reg. 17.

o Vitali Zuccolis hom. 64. in Marco
p Philip. 2. 9.
Sensus minus proprius.

tas capitis respectu Creaturarum præsertim hominum Christus est ut homo, *caput est Deus a*.

a 1. Cor. 11. 3. Acceptior sensus.

b supra.

c Joan. 19. 28
d ps. 18. 6.

e Ut Gigas decurrens in via ista *d* difficillima, æstum restinguere voluit hujusce modi aqua, quæ dulcior ei accidit, quam limosa Cyro aqua, immò exhauriens omnem amaritiem, reddidit deinde dulcem aliis, & suavem, ita ut in lapides ipsos *torrentis* redundaret dulcedo, ut de Stephano Ecclesia profitetur. Bibuntur, & eduntur labores: pro cibo sunt, pro potu. Nam Christum *cibum suum* dixit *facere voluntatem Patris e*, quæ erat de passione & morte *f*, & *saturatus* dicitur *opprobriis g*, post quæ videlicet quasi post cibum requieret potum, *sitire se*, ut paullo ante retuli, flebiliter dixit. Vere *sustentatum dixeris pane tribulationis, & pane angustiæ h. Quum gustavit, noluit Christus* in cruce *bibere i*, ut patiendi sitis magis satisfaceret: multo absque comparatione fortior ac temperatior quam Annibal, qui ducens exercitum per Africæ solitudines ferventissimas, Quum ac fontem pervenisset, bibere noluit, de quo ille:

f Joan. 4. 34
g Matt. 26. 41.
h Thren. 3. 30.
i Matt. 27. 34.

Hannibalis temperatia

k Sil. Italic.

k Exercerique sitim, & spectato fonte recedit.

Multo etiam adhuc quam David, qui allatam, quam adeo concupierat, *aquam nolent bibere, libavit Domino i*.

Propterea exaltabit caput. () Alii in præterito, (*exaltabit*:) & quidam (*levavit*, aut *elevavit*.) Demittit caput qui *de torrente bibit*: debetur *exaltatio capitis* ei tamquam præmium, ut etiam de Christo Paulus *m* philosophatur. Nam Christus meruit sibi exaltationem istam; juxtaque titulum unum psalmi quinti, victor est super *torrentem*. Fevarduntius *n* Hæreticos negantes Christum quidquam sibi meruisse, sed jam ab initio omnem exaltationem gloriamque possedisse, confutat tum scripturarū apertis testimoniis, in quibus est præsens, tum ipsorummet Hæreticorum sibimet contradicentium locis manifestis, tum Patrum auctoritatibus, qui sunt hactenus omnes citati, & alii. Concilium Tridentinum *o* appellat Christum causam meritorum nostræ justificationis. Nec opus est id privilegio demutare, ut facere videtur Scotus, *p* Viator erat Christus, *& in via bibit*, propterea que tamquam viator mereri de lege ordinaria potuit. Fuit liber ac indifferens circa plura bona: deniq; nihil defuit, quominus mereri potuerit? & quamvis ab initio jus habuerit ad omnia quæ postea acquisivit, quia possessionem actu non habuit, novo titulo meriti comparare sibi potuit: Talia prose, corporis resurrectio, & gloria: proprii nominis exaltatio, judiciaria potestas: pro nobis gratia, remissio peccatorum, justificatio, cum ceteris gratiæ donis cujusvis, corporū resurrectio, gloria eorum-D dem, & animarum. Nec propterea rejpondit meritis ipsius, augmentum gratiæ in ipso, quia illum habebat in omni genere quodammodo summam & infinitam. De modo istius meriti, ac de re ipsa tota exactior disputatio scholæ relinquenda. Legantur Aquinatis interpretes in 3. p. q. 19. & Magistri in 3. d. 18. & 19. Postremo interpretari licet, aut quod Deus Pater *exaltaverit caput* Christi, ut in ps. 32 9 & 26. & scribitur in Ecclesiastico, quod *sapientia humiliavit exaltabit caput illius* aut quod Christus ut Deus, se ut hominem: aut absolutè, idest, quod *caput exaltabitur i & exaltabuntur omnes justi t*; quemadmodum Evilmerodach initio regni sui *sublevavit caput Joachim regis Juda de carcere u*. Sed quia is qui bibiturus *de torrente in via* dicitur, juxta communiorem expositionem intelligitur Christus, ut homo, idcirco de eodem quatenus tali sumi debet *exaltatio capitis*. Alioqui nihil incommodi esset, spectando Deum tamquam qui sfragem edat de hostibus Christi, qui sunt consequenter hostes ipsiusmet Dei *bibire de cruentato torrente* ex sanguine illorum, *& propterea exaltare caput*; sive summet *ut regnetur judicia facienes x*; & omnino *vincens in ju-*

a Adicio: y sive Christi, quem hostes depresserant. Si sic *oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*, z nec nisi post humiliationem, exaltari, & capiat extollere non alia membris expectanda exaltationis via: neque *exultatio* speranda *offibus*, nisi *humiliatis a*. Juxta præcemiam) hic aut bibendum, aut abeundum *b*:) quod venuste Græci efferunt βεβηκὼς ἀνέξει. *Torrens voluptatis e*, non hujus, sed alterius ævi est. Subeunda lex communis viatoribus: non sistendum, sed *abstinendum tamquam hospitibus & peregrinis à carnalibus desiderii: c* ut canibus è Nilo *e* curfim lambendæ præsentis temporis aquæ, ne mora mortem immortalem afferat, atque in ritum lethiferi crocodyli incurramus. Hortatur hoc loco Chrysostomi gerens nomen, ut exempto Christi, vitam luxuriantem, fastuque & pompa extrinsecus repletam contemnamus, quasi *de torrente aquam bibentes in via*, atque tendam ac facilem, & minime exquisitam persequamur, si esse clari & magni velimus. Invehitur deinde in eos, qui sibi mensas apponunt Sybariticas, ac demum definit longe illum excellorem esse, qui paucis contentus vivit, Quam qui plura conquirit. Creditus Hieronymus exponit etiam de exaltando capite non Christi, qui semper altus fuit, sed nostro, quoniam deorsum jacebamus in terra, curvi non poteramus aspicere cœlum, in cujus rei typum, liberavit mulierem, incurvatam, quam ligaverat diabolus *f*.

y ps. 10. 6.
Luc. 24. 26

z apoc. 10. 6.
Cic. Tusc. 5

a Psal. 35. 9

b 1. Petr. 2. 11.
c Macrob. l. 2. cap. 2. & Solinus.

Excellior est qui paucis contentus vivit quam qui plura conquirit.
f Luc. 13. 16

PSALMUS CENTESIMUS DECIMUS.

Alleluja.

1. COnfitebor tibi Domine in toto corde meo: in consilio justorum, & congregatione.

2. Magna opera Domini; exquisita in omnes voluntates ejus.

3. Confessio & magnificentia opus ejus: & justitia ejus manet in sæculum sæculi.

4. Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors & miserator Dominus: 5. escam dedit timentibus se.

6. Memor erit in sæculum testamenti sui: virtutem operum suorum annunciabit populo suo.

7. Ut det illis hæreditatem gentium: opera manuum ejus veritas, & judicium.

8. Fidelia omnia mandata ejus: confirmata in sæculum sæculi, facta in veritate, & æquitate.

9. Redemtionem misit populo suo: mandavit in æternum testamentum suum.

Sanctum & terribile nomen ejus; 10. initium sapientiæ timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum; laudatio ejus manet in sæculum sæculi.

Titulus, & Argumentum.

Alleluja.

Titulus Argumentum.

HIc, & sequentes ps. usque ad 119. qui est gradualium primus, habent in titulo *alleluja*, sicut adhuc posteriores 134. 135. 145. 146. 147. 148. 149. 150. & priores 104. 105. 106. Quid autem sit *alleluja* vidimus ps. 104. Græcus auctor, quem citat Agellius, ponens in Psalmorum titulis usq; 119. nihil aliud haberi, nisi *alleluja*, indicari ait, quod nec ad Psalterium dicti sint, neq; cantici locum habeant, neque orationis, neque ullius alterius inscriptionis, sed sint hymni gratiarum actionem continentes, quoniam *alleluja* significat *αἶνον Θεοῦ laudem Dei*. Itaque argumen-

tum psalmi ex titulo colligi potest esse laudem Dei, atq; gratiarum actionem. Putant Hebræi laudari Deum hic potissimùm eique gratias agi ob manna in deserto datum, & legem. Alii etiam Catholici propter Dei opera primùm, in genere magna, tùm creationis & gubernationis, postea providentiæ in victu suppeditando, nominati in dando manna, quando Hebræi per desertum errantes cibis aliis destituebantur: præterea in tradenda illis lege, postremo in exhibenda Chananææ possessione, juxta fidele promissum suum; ita ut exegerit quoque à populo suo custodiam pacti sui, & ut cum sanctitate, reverentia, timore conarentur eidem servire. Admitti potest sensus iste; sed ut simul altius assurgamus ad opera, beneficiaque gratiæ, potissimùm Eucharistiæ, quod est mysterium fidei, novi, æternique testamenti exigens à nobis gratitudinem summam, & religionem erga auctorem tantorum, tamque firmiter constitutorum bonorum, in quibus est etiam redemtio nostra, æternæque beatitudinis promissio. Angustius adhuc argumentum traditur à Theodoreto de victoria sub Josaphat. Inter alphabetarios psalmi alphabetarii. quartus est iste post 24. 33. 36. & alii sunt sequentes 111. 118. 144. De hoc scribendi genere per acrosticha secundùm alphabetum carmina repetere quæ dixi psal. 24. Admonet commentarii auctor sub Hieronymi nomine, videri hunc primum psalmum secundùm ordinem scribi literarum, quoniam in 24. & 36. vel desunt aliquæ litteræ, vel supersunt: nonnumquam quia quum unus versus brevis sit, alius infinita, inquit longitudine majus est. Unde etiam subdit, putare se magis observatione legentium, quam studio scriptoris effectum. Scriptoris ipsiusmet id factum studio verus Hieronymus præfatione in libros Regum *a* non dubitat, affirmans de psal. 36. & de nostro, atque de sequentibus aliis, quos commemoravi, eosque, quamquam diverso scribantur metro, tamen ejusdem numeri texti alphabeto. Proprium est hujus psalmi, ut singula hemistichia singulis consistent alphabeti litteris in principio, quum juxta supputationem Græcam, & Latinam soli sint versus decem, qui nec etiam eodem pacto ubique disponuntur, hoc est, in precatoriis libris, & in codice Bibliorum. Marcellino scribit Athanasius, inter illos censeri qui conjunctam habeant ἐξομολόγησιν, καὶ δόξαν μετὰ ἀκόπου *a* epist. 106. *confessionem*, & *narrationem* (*observationem* perperam habet translatio latina Petri Nannii) *cum laude*. Adnumerat item illis psalm. quos requirunt quibus opus est confessione, vel in quibus insit *Alleluja*. Cassiodorus vim facit in denario supra centesimum, ad præmium justorum designandum, & in alphabeto adeo perfectiore, quam fuerit in aliis psalmis, majorem perfectionem justorum & ut commoneantur promissione adeditionis studium festinare, quando ut elementa meditari; ac dilcere debeamus, ordo ipse ponitur litterarum.

Vers. 1.) Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in concilio justorum, & congregatione.

Sensus loci

EXcitat se ipsum ad confitendum Domino ex intimo cordis, sinceroque affectu, nihil æquè ut Dominum, quę laudare se velle ipsemet illi quodammodo spondet, amando, ad nihil aliud dum hoc agit, attendendo, aut cogitationem, & intentionem defectendo. Proponit autem id agere tùm in concilio, & cœtu justorum & sapientum, qui numero solent esse pauciores, & quasi secreto, seorsimque in separatum locum convenire; tùm inter multos, & ut alibi canit, *in Ecclesia magna* b, *populove* bpsl. 34. 18. *gravi* c, seu multo, atque copioso. Quum hinc inchoetur alphabetica versiculorum vel hemistichiorum dispositio, melius fuisset segregare à serie texus, ac separatim ponere in titulo הללויה *halleluiah*. Quod etiam ajo de c ibid. sequenti psalmo, & de aliis, in quibus constet ad titulum pertinere. Eadem sententia est in psalmi noni primis versibus, & 137. & in versu 12. & octogesimiquinti. Quæ dixi in nono, communia cæteris esse possunt, quem admodum & quæ de similibus formulis, quibus idem declaratur affectus verus, & magnus. Explicat Chrysostomus fieri μετὰ προθυμίας ἀπαύστου, συντάσεως, *cum omni alacritate, & cum contentione*, attentè quoque, & diligenter, amotis omnibus curis earum rerum, quæ ad hanc vitam pertinent, sublimi, ac erecto animo, huncque à vinculis, quoad licet, expediendo. Alius Auctor Græcus anonymus apud Agellium explicat, ne pars cordis nostri confiteatur, alia inclinet ad peccatum: necdum pedem animi unum attollimus ad virtutem, alterum sinamus in cœno peccati: sed totius opifici rotum cor consecremus, qui etiam vile à nobis donum accipere non dedignatur. Apollinarius ὁλοκλήρῳ καρδίᾳ *interpretatur* cor, quod numquam esset, aut fatigetur, Dei laudes ulurpando, illi confitendo, gratias illi agendo. Hugo moralis, & accommodatitio simul sensu tres versus accipit de confessione peccatorum, ut Deo fiat, & Sacerdoti gerenti vicem Dei; & confitens profiteatur se cum humilitate servum, & totius cordis contritionem procuret: *confiteatur autem in concilio justorum*, idest, Confessario bono, ac idoneo, qui consilium det verum, (legit enim *in consilio*) *& in congregatione*, idest, non in loco suspecto, sed in Ecclesia, & coram aliis, *ut magna sint opera Domini*: hoc est, quæ Domino fiunt, ut ei satisfiat, qui dicuntur *fructus digni pœnitentiæ* d, *& sint exquisita in omnes voluntates* d Matt. 3. 8. *Dei*, nempe ut deinceps faciat pœnitens quidquid potest, quod icit Deo placere: sed ne inde in superbiat, ut cognoscat, quod tam *confessio*, quam *magnificentia* idest, & quum confitetur, & quum magna facit, *est opus*, ac donum Dei: denique quod omne justum, quod non sibi quis tribuit, sed Deo, *manet in sæculum sæculi*, propter præmium, quod ei respondebit.

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo.) Deest pronomen Hebraicè, & Hieronymus *e* docet esse superfluum, Sæpe distinximus confessionem laudis fidei, peccati. Prima est hujus loci, ut Augustinus quoque monet, & in tempore futuro, una cum his, quæ sequuntur, videtur hic agnoscere: præterea quod *Alleluja* latum cani soleret in Quinquagesima Paschæ, post Quadragesimam pœnitentiæ, lætiyam beatæ æternitatis confessionem, plenumque divina laude pectus populi Dei, cui redditur denarius; exultantem fœlici exultatione, & scaturientem corde in amore Dei, omni malo liberatum, & à malignis omnibus separatum. Hoc sibi sequentia volunt licèt Hugo, ut dixi, & alii, ut postea dicam, notionem postremam sectentur.

In concilio justorum.) Scribunt alii, *consilio*, sicut & primi psalmi primis verbis, ubi est idem nomen βουλὴ sed C עצת *bhnt sah*, quod hoc loco סוד *sod*: significat autem סוד *sod secretum*, & *consilium*, *quod requiris secretum* sumiturque pro loco, in quem conveniunt ad consilium proque conventu, & confessu agitantium consilium. Cajetanus *secretum rectorum* sumpt pro illis, qui erant ante legem veluti privati, ac separati, non in unum populum congregati, qui coleret Deum: *congregationem* vero etiam *rectorum* in sequenti membro pro populo sub lege constituto. Auguitinus anagogico sensu interpretatur de thronis duodecim, super quibus Judices Tribuum duo decim sedebant f. Litterali sensu *concilium justorum*, seu f Matt. 19. *rectorum* ישרים *iscarim*, *subito*, præsentis vitæ justos 28. comprehendit, apud quos optimè fit confessio, & laus Dei. Nam ut scribit Gaudentius g Brixiensis, qui perfunctoria confessione ore tantum refert divina mandata, g tract. sive & ea nec mente retinet, nec factis servat, nequaquam po- serm. 13. test hic dicere, *Confitebor tibi Domine, in toto corde meo, in concilio justorum, & congregatione*. Sed necesse est, ut cum Synagoga populi contemtoris, increpantem Deum Daudiat Prophetam h, *populus hic labiis me honorat, cor* h Isa. 29. 13. *vero eorum longe est à me*. Subdit i. *Notite errare, Deus non* Matt. 15. 8. *irridetur*. An exiltimatis, quod Deum diligat tepidus, i Galat. 6. 7. ac negligens Christianus? &c. Isidi malum Persicum di- Malum Persicum quare Isidi vetetes dicatum. cerunt veteres, quod cordis referat figuram, folium linguæ: dici namque *Isida* ab ὕδω, *facio*: sapientiam vero primùm concipi tamquam corde intellectus, deinde in mortalium usum enunciari k: & nihil divinius oratione de Deo, neque majus res ulla ad fœlicitatem momentum affert, pro inde oraculum intraturo mandari, ut sanctsentiat, & modestè loquatur l.

Et congregatione.) Est עדה *bhedah*, atque συναγωγὴ, plurium hominum promiscui cœtus cujuslibet conditionis. Auctor Græcus innominatus apud Agellium docet appellari hoc loco in priore membro βουλὴν τῶν *consilium rectorum*, τὰ μετὰ τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ λόγῳ, *or- dinet sanctorum in Ecclesiam*: in sito σὺν ὀργῇ διατρίβοντα μὲν συναγωγὴν, *sive congregationem secundùm ordinem* τῶν πλήθους ἄβροισμα, *multitudinis collectionem*. Junii Psalterium Romanum, eodemque versu in cludit sequentia verba, *magna opera Domini*. Quod Græcè etiam facientes Chrysostomus, ac Euthymius, ajunt ostendi opus esse & Judi-

Judicè, & conventu non corrupto ad judicium, tuncque Aquia illa ipse non exquirit, qui odit; sed tolerat dumtaxat, & permittit. Similis, est alius Augustini locus in opere de civitate Dei *, ubi ait, quod (peccatores & Angeli, & homines nihil agunt, quo impediantur *magna opera Domini*, *exquisita in omnes voluntates ejus*: quoniam qui providenter, atque omnipotenter tua cuique distribuit, non solum bonis, verùm etiam malis bene uti novit.) Arnobius accipit *magna*, *& exquisita opera* ista de Christi nativitate, passione, resurrectione, ascensione, quæ ceteris, quæ Deus ab initio voluit, præstantiora sunt. Gregorius *m*, fic *Dei* docet *opera magna esse*, ut per omne quod ab hominibus agitur, ejus voluntas exquiratur, quoniam sæpe inde perficitur, unde repelli putabatur.

Explicatur Augustini locus. n l. 19. c. 27 m 2. mor. c. 29. apud Pet.

Magna opera Domini.) Monui nonnullos ista connectere cum superioribus. Melius ponuntur seorsim. Magni Dei non nisi magna opera omnia, quamvis ex iis quædam & in se secundùm naturam spectata, & respectu nostri sint majora, & minora. Eget quodlibet opus creatum concursu Dei, nec absolutè absque primæ causæ concursu existere quid potest, sed constat unum quoque proprio suo gradu perfectionis, & sunt essentiæ rerum sicut numeri. Exclamat alibi Propheta *n* noster. *Quam magnificata sunt opera tua Domine*. Item *o*, *Non est similis tui in dis Domine*, *& non est secundùm opera tua*. Quanta vero, & qualia resplendeant in uno Eucharistiæ opere, de quo præsente m psalmum etiam consentiente Ecclesia, intelligere po ssumus, divinæ potentiæ, sapientiæ, bonitatis opera per inductionem ostendi potest, collectam ex omni genere enon modo admirandorum in natura operum, sed eorum etiam, quæ quia supra naturam existentia miramur, *miracula* nominamus. Opera Domini sicut numeri. n psl. 91. 6. o psl. 85. 8.

Exquisita in omnes voluntates ejus.) Arnobius, *exquisita in omnibus voluntatibus ejus*, idest, in omnibus & plusquam omnia, quæ ab initio voluit, ac fecit. Hieronymus, *exquirendo in omnibus voluntatibus suis*, idest, ut explicat Trevetus, à nobis exquirenda in rebus, quas sola Deus voluntate facit: quia facit veluti ex studiosa diligentia, hoc est, cum excellenti sapientia. Alii, *explorata omnibus volentibus ea*, *per vestigabilia cunctis*, *qui optant ea*, vel *iis delectantur*, *cognoscibilia iis*, *qui velint studium ad eorum notitiam applicare*, *exoptata omnibus qui amplectuntur ea*. Chaldaicè, *exquisita* vel *exquirenda ab omnibus qui volunt illa*. Hebræa le habent hoc modo חפציהם דרושים לכל *derusim lechol chephsehem*, *quæsita omnibus voluntatibus eorum*, aut *ad omnes voluntates eorum*, aut *juxta*, seu *secundùm omnes voluntates eorum*, Hebræi, & Hebraizantes, ut ex modo dictis colligitur, exponunt quod magna illa opera Domini quæruntur, ac investigantur ab omnibus voluntatibus eorum: idest ab omnibus, qui volunt, & cupiunt ea; sunque qui legant cum participio חפצים *chophesim*, & paragogico pronomine. Vel retento nomine declarant etiam nonnulli, quæsita, atque comparata esse à Deo ad omnes voluntates concilii justorum sive rectorum, & congregationis, ut in promtu sint, ac Deus illico in eorum gratiam præstet quoties voluerint. Posset præterea dici quod in dictis operibus quærunt, ac investigant homines præsertim recti, omnia quæ volunt, quodque omnia tandem cooperentur ipsis in bonum, perinde ac fide industria ad hoc fuissent facta, comparata, quæsita. Parva necesse est, angustaque opera nostra esse, nostræ voluntati, ac sapientiæ respondentia: Dei vero magna, & ad innumerabiles usus, fines, voluntates creatas accommodata. Tam infinita voluntas, bonitasque ipsius, quam sapientia, potentiaque. Quamvis autem legamus, ut debemus, in singulari pronomen, *ejus*, possumus referre ad *concilium justorum*, *& congregationem*, ac interpretari, ut modo diximus. Sic perinde esset, an Lxx. legerint חפציו *chepsau* cum singulari affixo, an, ut nunc extat in plurali. Sed si communiorem, ut par est, sequamur sententiam cum translatione nostra, ut scilicet pronomen singulare respiciat *Deum*, probabilem dicemus conjecturam Genebrardi, & Bellarmini, occultare voluisse Lxx. mysterium Trinitatis. Sine isto mysterio verti potuisset: *omnes voluntates suas*: quod idem est ac *ejus*. At illud pronomen, *suas*, possessivum non indicat personam in plurali, sicut affixum חם *hem*. Annotatio Agellii de nomine Hebræo pro usibus *ut exquisita opera in omnes voluntates eorum*, idem sit, ac *in omnes usus* passivè, nempe ad quæ illa Deus velit ad hibere, secundùm rem ipsam & Latini sermonis usum, vera est; sed non bene cadit in translationem tùm Græcam

tum Latinam. Quid sibi velint *exquisita opera* ἐξαίρετα prius docui, idem nimirum, ut alii declarant, quod ἐξηκριβωμένα πεπραγματευμένα, ἀπηρτισμένα, γεγενημένα, πεπερασμένα, ἀρχαῖα, ἐκπαλαίστατα, ὧδε ἐνθάδε ἔχοντα, *exacta, parata, perfecta, facta, plena sufficientia, idonea, non claudicantia, neque minus habentia*, videlicet ad vim divinam testandam, & ejusdem perficiendæ præcepta. Prout enim *dixit facta sunt omnia*: prout *mandavit, creata sunt, statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi, præceptum posuit, & non præteribit* a. Ita prælertim declarat Chrysostomus, nec non Anastasius. Constat Dei voluntatem unicam, & simplicem esse: multiplex dicitur secundùm varias res voluntasi; quemadmodum in Actibus Apostolorum *b*: *qui faciet omnes voluntates meas*. Qui loquendi modus extat in aliis duobus præcedentibus psalmis *c*, ut omittam distinctionem beneplaciti, & signi, cum aliis membris, aut subdivisionibus. Athanasius *d* refellens dicentes esse in Deo priorem voluntatem, quam Verbum docet quod respectu creaturæ, quæ aliquando non fuit, præcessit *voluntas & decretum βούλησις καὶ θέλησις*. Quod confirmat præsenti hoc testimonio, & similium psalmorum *e*. Nec abhorret à probabilitate, *exquisita Dei opera magna*, ideſt, beneficia ejusdem exponere *in omnes voluntates ejus*, ideſt ex omni veluti voluntate ipsius, ex omni affectu, & quasi conatu, ac propensione voluntatis, ex summa benevolentia, & amore infinito, libentissimè collata, & amantissimè. Simile illud *f*, *sanctis qui sunt in terra ejus mirificavit omnes voluntates meas in eis*, ideſt, inquit ibi Christus, reddidit Pater mirabilem, ideſt, maximam benevolentiam meam erga sanctos. Merito *in toto corde confiteri Domino* proposuit David in principio, propter opera benevolentiæ ejus, ac beneficientiæ tam exquisitæ, & eximiæ. Sequitur præterea quælibet in omni genere opera Dei ab illo fieri volente, ac libenter, seu libera voluntate. Quod præter modo allata testimonia psalmorum aliorum, omissis locis aliis, diserè traditur in Apocal. ψαλ. *g*: *quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant* (prius in tempore quod præcessit id in quo ista dicuntur, aut mente divina) *& creata sunt*. Euthymius, & Nicephorus volunt esse sensum, opera Dei esse maxime accommodata, ut nos excitent ad perficiendas omnes voluntates Dei, sive mandata, quoniam ex his intelligimus Deum vere esse ac misericordem, deniq; dignos amore, & obsequio nostro. Quid si adhuc opera רוּשִׁים *derusim, exquisita* interpretemur *in omnes voluntates Dei*, ab ipsomet Davide, vel ab aliis, qui rationem venati sint in cunctis operibus divinæ voluntatis & ex quorum scriptis, aut traditionibus ipse hujusmodi rationem didicerit? Inde est מוֹרֶשׁ *midrasch, liber, in quem referuntur ac digeruntur inquirenda*, vocantque Rabbini בֵּית הַמִּדְרָשׁ *bath hammidrasch scholam, domum studii, & inquisitionis: & דָּרַשׁ derasch expositionem omnem accuratiorem, præcipuè per modum allegoriæ*. Commendabile est studium libri creaturarum, ut hoc loco loquitur Chrysost. præter alios alibi memoratos: laudabilis devota, & humilis investigatio divinæ voluntatis circa quelibet opera Dei, cum reliquis attributis ejusdem. Verus religiosus cuncta ab obedientia opera præscripta ceulet *exquisita*, & exquirenda *in omnes voluntates* superioris, quem Dei habet loco, exquirens & excogitans rationes, ut sapienter monebat suos ordinis nostri Auctor *h*, quibus tueatur, defendat, fibiq; & alijs optimum factu esse persuadeat; quod superior faciendum significaverit, ubi non constat divinæ legi repugnare. Cavenda demum fatuitas nonnullorum blasphema, qui summa sapientia condita à Deo opera reprehendere non verentur. Quo in genere Alphonsi X. Hilpanorum Regis Rodericus Santius *i* exemplum perillustre commemorat, non dubitasse dicere, si à principio creationis consilio Dei interfuisset, nonnulla melius ordinatiusq; condenda fuisse: properera divinitus animadversu horribiliter, non sine tamen, sera licèt, pœnitentia.

a psal. 148. 6.

b Act. 13. 22.

c psal. 135. 3. psal. 110. 7.

d lib. 4. contr. Arian. In Deo respectu creaturæ præcessit voluntas, & decretum.

e psal. 111. 2. 3. psal. 139. 6.

f psal. 15. 3.

g c. 4. 11.

h epist. de obedientia.

Fatuitas quorūdam Dei opera reprehendendum ea venda.

i Hist. Hisp. p. 4. c. 5.

Vers. 4.) Confessio, & magnificentia opus ejus, & justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Sensus loci.

REcte significat se initio proposuisse *confiteri Domino in toto corde*, ac postea confessionis materiam assignasse magna opera Domini tam exquisite facta, diligenti exquisitione digna: quoniam quodlibet opus Domini, vel actio, qua semel condita conservat, gubernat, propagat, nihil, nisi confessionem videtur sonare, ac laudem Dei, nihil, nisi quam sit magnus, & magnificus. Ne autem quis discrepantia offendatur, quam deprehendit inter homines, ac in æqualitate, quosi quæ fiunt juxta voluntates Dei, ut antea dicebatur, secundum justitiam non fiant; quia magnificæ beneficentiæ Dei opera experiuntur plerumque improbi: probi è contrario jacent, & rebus afflictantur adversis; monet *justitiam Dei manere in sæculum sæculi*, ut si modo non ita cernatur, deliteſcat, abeſſe putetur, minime dubitemus, quin suo se tempore exerat, & cum *misericordia ejus ab æterno, & usque in æternum super timentes ipsum*, sit quoque *justitia in filios filiorum* k. Quæ videntur etiam mala, beneficia sunt, & pro iis confitendum Domino, eique agendæ gratiæ, inquit putatus Chrysostomus, ut quando suppliciis, & morbis afficit: & si continuo Deus animadverteret, nec dissimularet, ac expectaret ad pœnitentiam. Paulum non habuissemus, qui gratiæ divinæ ipsemet seipsum producit in exemplum *l*. Idem accidit in Magis, in Matthæo, in Magdalena, in latrone, in aliis. Augustinus & aliis magnificentiam Domini circa nos in eo ponunt, quod nullis præcedentibus meritis justificat & sic excitat confessionem, ut nemo in se extollatur, aut *gloriatur*, sed *in Domino* m, apud quem etiam iniquitas non est, etiamsi nos judicia ejus non comprehendamus. Bernardus n, applicat ad confessionem sacramentalem peccatorum, quæ secum *affert magnificentiam* sive *gloriam* o, *hanc que reddit Deo*: padde & quod justitiam affert quia nisi per nos ſtet, *maneat in sæculum sæculi*: qua re, ideſt, justificatione impii, nihil magnicentius, ut ait citatus Auguſtinus. Arnobius explicat de confessione Trinitatis, & magnificentia deitatis. Greg. q ait ab eo accipere nos recta confiteri, à quo nobis & magna dantur operari: sed hos, qui salvari hominem propriis viribus astruunt, confessionem hominis ab ipsius esse hominis virtute suspicari: latronem, qui talis ad crucem venerat cum culpa, longe alium à cruce receſſiſſe ex gratia r. Adjice *opus Dei* esse *confessionem*, ideſt, confessione ac laude dignum, quia *est magnificentia*. Nam *magnificavit Dominus facere nobiscum*: *t dat affluenter* t: imm o *supereffluenter* u: *copiosa redimit*: x *murenulas aureas dat*, non quaslibet, sed, *vermiculatas argento* y & ornatas: *pœnam magnam apparavit* z. Docet & non liberaliter Deum tractare, nec opera dumtaxat necessaria, sed etiam quæ vocantur supererogationis, alacriter offerre. Quum Giezi mentitius nomen magistri, talentum unum petit à Naaman, hic magnificè agens respondit, *melius esse, ut acciperet duo, coegitque eum*, ut acciperet a.

k psal. 102. 17.

l 1. Tim. 1 15. & seqq.

m 1. Cor. 10. 17.

n ser. ad milites templi c. 12.

o Eccl. 4. 15

p Isaiæ 7. 19

q lib. mor. 9. 33. vel 26.

r Luc. 23. 40 & seqq.

s psal. 125. 3. Isaiæ 8. 5.

t Luc. 6. 38

u Luc. 6. 38

x psal. 129. 7. 2

y Cant. 1. 11

z Luc. 14. 26.

a 4. Reg. 5. 22.

Confessio.) הוֹד *hod*. Hierony. *gloria*. Paraphrastes, שְׁבָחָה *seu ἀινεσις hab, laus*, & ita quoque vertisse quemdam Græcum testatur is, qui creditur Chrysostomus, nimirum ἔπαινος. Apollinarius reddit εὐνος, quod idem valet. Cajetanus ponit nomen *pulchritudinis*, exponitque de illa, quæ est in opere creationis, & providentiæ, quod *consilium justorum*, sive *secretum rectorum*, ut eum transferre docuit Rabbinus, quo utebatur, ideſt, Patres ante legem considerantes, confitebantur Domino, eumque laudabant. Non convenit propriè hoc loco nomen *confessionis* ei, qua peccata confitemur, aut fidem profitemur, sed Deum laudamus. Nomen Hebræum הוֹד *hod* crebro junctum nomini הָדָר *hadar*, quod hic etiam sequitur, jam aliquoties ante vidimus redditum per *gloriam* b, *magnificentiam speciem* c, *confessionem* d, & rursus postea vertitur per *magnificentiam* e, & *confessionem* f, diciturque confessio Dei super cœlum, & terram, ideſt laus, sive laudis materia. Qui transferunt ἐξομολόγησιν & *confessionem* derivant הוֹד à יָרָה *iadah confiteri*. Quum tamen Grammatici fere velint הוֹד *hod* esse ipsam radicem. Res gloriosa confessio fidei, laudis peccatorum.

b psal. 20. e. 6.

c psal. 8. 2.

d psal. 44. 4.

e psal. 95. 6. psal. 103. 1.

Confessio Dei super cœlum & terram.

f psal. 149. 5.

g psal. 148. 13.

Et magnificentia opus ejus.) הָדָר *hadar*, de quo modo dixi, & alias, pro quo apud Hieronymum, *decor*, apud alios *gloria*, vel *honor* apud Græcum citatum à Chrysost. ἀξίωμα ἢ ἐργασία αὐτῆς & *dignitas operatio ejus* apud Apollinarium ἀρετοπρεπὴς εὐχος *præstans gloria*. Quare propriè *magnificentia* non hic significat magnarum rerum efficientiam, quod nullo modo sonat Hebræa vox, & aliæ Græcè, ut nec qua utuntur LXX. μεγαλοπρέπεια, *qua virtem* significat, *qua quis in magnis rebus publicis præsertim, pro dignitate sumtum facit*.

Et justitia ejus manet in sæculum sæculi.) Hieronymus *perseverans in æternum*, עֹמֶדֶת לָעַד *hhemedeth lahhad*. Chaldaicè, *& meritum ejus perstat in sæcula*, ideſt meritum, quo Deus meretur confessionem laudis. Reperitur eadem sententia psal. sequenti a, sed de homine justo: & iteram de Deo in psal. 118. *b justitia tua justitia in æternum* c, *in æternum omnia judicia justitiæ tuæ*. Quomodo non tantum in præsenti tempore semper maneat justitia licèt in multis obscura, sed & in futuro magis manifesta, discesex his, quæ diximus psalmo 18. *d de timore Domini permanente in sæculum sæculi*. Hugo id refert ad æternitatem sententiæ pronunciandæ in judicio, hoc ést, ut semel decreta pœna, vel gloria judicati in æternum permaneant. Sapiens *e justitiam* nomine *perpetuam, & immortalem*; quo loco vide commentarium nostrum, & Roberti Olcot *f*. Istam justitiæ immortalitatem, & in corruptione expressit imago illius à Chrysippo repræsentata apud Aulum Gellium *g*, forma, atque filo virginali, aspectu vehementi, ac horridabili, luminibus oculorum acribus, neque humilis, neque atrocis, sed reverendæ cujusdam tristitiæ dignitate.

a vers. 3. 9.

b vers. 142.

c vers. 160.

d vers. 19.

e Sap. 1. 15.

f ibid.

g l. 14. c. 4.

Vers. 4.) Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors, & miserator Dominus.

Sensus loci.

NOn protenditur ulterius hic versus in Bibliis Latinis, & in aliquibus Græcis, quoniam sic duplex alphabeti Hebraici littera in hemistichiis collocatur? ז *zain* & ח *chet*; quod autem sequitur, incipit à ט *teth*. *Exquisitum* porro *opus*, in quo respicienduit confessio sive laus, atque gloria, decus magnificentia Dei, canit Propheta id fusiùs non tolum, quo fuppeditat continuum victum viventibus præsertim hominibus, & quidem singulari quandoque cura his, qui timent ipsum, & aliis destituuntur subsidiis: sed potiſſimum, quo mirabile illud manna Hebræis missit in deserto, ut magis exprimitur veriu sequenti. Ea in re declaravit Deus misericordiam suam, non qualemcumque, sed paternam, ac maternam, plenamque viscerum: voluit hac ratione valde exquisita, & quasi excogitata, *omnes suas voluntates*, ideſt, ut nuper exposui, omnes veluti affectus, omnem amorem, & benevolentiam in animis hominum imprimere. Quocirca justit etiam Moysi: Deus, ut *impleret gomor ex manna, & custodiret in futuras retro generationes, ut noviſſent panem, quo aluerat eos in solitudine: & Moyses ad Aaronem dixit, ut sumeret vas unum, & mitteret ibi manna, quantum posset capere gomor, & poneret eum coram Domino, ad servandam in generationes h*, quam Paulus *i* appellat *urnam habentem manna intra arcam testamenti*. Ad hujus rei similitudinem, quando Christus instituit Eucharistiam, cujus manna typus erat, injunxit, ut quoties hoc tactificium sacerent Sacerdotes, iidemque, vel alii sumerent, idem *in ipsius memoriam facerent k*. De Eucharistia valde communis est, præsertim Latinorum, expositio, quæ sequentis versus membro, aut juxta connexionem vulgarem in hoc ipso versu appellatur *esca data timentibus Deum*. Græci multi *memoriam facere* accipientes pro eo, quod est *operari*, locum istum explanant generatim de mirabilibus operibus, quæ Deus operatus est, ac etiamnum operatur, ut ad se trahat crassiores, atque rudiores quousque homines, ut diluvii tempore, cumque linguas confudit, præterea tempore Sodomitarum, & Abrahæ, Isaac, Jacob ad hæc in Ægypto, & in exitu Hebræorum ex illa, in deserto, in terra promissionis, in Babylone, post reditum ex illa: item sub Machabæis: deinde in adventu Christi: deinceps privatim, ac publicè, in privatis domibus, civitatibus, & ubique gentium, temporibus Apostolorum, Martyrum & aliorum Sanctorum. Is, qui dicitur Chrysostomus, profert exempla mirabilium, quæ gesta sunt sub Juliano, sub Maximo, sub aliis imprecatoribus Ecclesiam persequentibus: urget potiſſimumque sub Juliano, tamquam quæ in sua venerint generatione.

h Ex 16. 32. 33.

i Hebr. 9. 4.

Manna typus Eucharistiæ.

k Luc. 22. 19. 1. Cor. 11. 24

Memoriam fecit mirabilium suorum.) Chaldaicè, *memoriam bonam fecit mirabilibus suis operibus*. ¶Rectè monuit Euthymius, & nos etiam alias, verbum *meminit*, aut *memoriam facit*, læpenumaro poni pro *operari*. Passim tamen qui *escam* in sequenti versu sumunt pro Eucharistia, quod facit etiam Ecclesia in officio Corporis Christi, & indicat Gaudentius Brixienſis, interpretantur in ea fecisse Deum istam memoriam, vel memoriale ac in eo opere in esse quidquid inaliis operibus mirabile est, quod inductione demonstrari posse antea dixi. Exiſtit in hoc opere opus quoddam orationis, tum quando gratia producitur, tum quando conversio, ac transsubstantiatio fit: præterea quædam ratione incarnatio quatenus Christus per illam unam semel factam unionem hypostaticam homo factus, unit se speciebus sacramentalibus, quasi deificans illas, & conjungit se sumentibus ipsum: postremo cernitur hic quodammodo opus redemtionis, & passionis, quoniam renovatur memoria ipsius, & videtur nonnihil pati, dum reritur dentibus præsertim impiorum. Attamen certum est, absolutè, & secundùm majus beneficium fuisse incarnationis, & passionis, quia per illud communicatum est ipsum esse personale naturæ humanę, per aliud passus est Christus propriæ vitæ derrimentum propter nos, cujus rei memoriale quoddam est Eucharistia. Sic ratiocinatur satis bene Barthol. Medina *m*. Valentia vero hoc loco demonstrat in Eucharistia repræsentari mysterium incarnationis, passionis, resurrectionis, ascensionis. In Missa quidem petitur à sanctissima Trinitate, ut suscipiat eam oblationem in memoriam passionis, resurrectionis, ascensionis *Jesu Christi* Domini nostri. Præterea Sacerdos memorem se, & alios ait beatæ passionis, nec non & ab inferis resurrectionis, sed & in cœlos gloriosæ ascensionis. Alii explicant, semper Deum veluti refricare memoriam sui apud crassiores maxime, ruliores que, novis, ac novis oderibus, atque beneficiis. Omnia festa in dicta populo Hebræo exigebat ab illo divinorum beneficiorum memoriam, cum demque nostra etiam sinem habent, inter alias caussas. Omnis viro sapienti quoque dies festus est, ut aliquando Diogenes dixit, quia præ oculis Deum semper habet, studetque virtuti, ac divinis respondet beneficiis. *Memores nos oportet esse falsi, quod in palatio Regis comedimus, & lasiones ejus videre nefas ducere n*, hoc est, ut peccatis lædatur sive nostris, sive alienis. Pudeat nescire, ac oblivisci Deum *nutritium nostrum, qui declinat ad nos, ut vescamur o*. *Sedentes ut comedamus cum* tanto *Principe, diligenter attendere debemus, qua apposita sunt ante faciem nostram* p. Hoc est, *memoriale Dei, sicut vinum Libani* reflictum illis: *qui obvunt tritico, & germinant quasi vineæ*. *q* Clemens Papa Vsr appellat hoc præcipuum, & insigne memoriale amoris divini eximii: præterea mirabile, ac stupendum; delectabile, suave, tutissimum, ac super omnia pretiosum, in quo *innovata sunt signa, & mirabilia immutata*, / item memoriale dulcissimum, lacratissimum salvificum: ad hæc memoriale nobilissimum, intimis ¶commendandum præconiis, firmiter animo alligandum diligenter observandum in cordis utero, & meditatione, ac celebratione sedula recensendum: postremo ait hujus memorialis continuam nos debere celebrare memoriam, ut illis, cujus ipsum fore memoriale cognoscimus, semper memores exsitamus, quia cujus donum, vel munus frequentius aspicitur, hujus memoria strictiùs retinetur. Hoc memoriale exhibet rem ipsam præsentem, cujus est: quod manna intra urnam non faciebat, de quo ante dixi, nec panes propositionis duodecim pro numero Tribuum *r*, In quo ipso typo *duæ decimæ* designabant duas Christi perfectissimas naturas: quod *panes facierum* dicebantur, hoc sacrificium jugitur ante facem Patris offerri, cum thure orationis & sale doctrinæ, quæ in Missa recitatur, & duabus phialis aureis, quæ designant largitatem divinæ gratiæ, & misericordiæ. Ribera *u* noster tractat de Dmystica significatione *panum propositionis*, hæretque potissimùm in hoc, ut designaverint opera misericordiæ. Congruit hoc loco epithetum *Dei misericordis, & miseratoris Domini*. Divinæ misericordiæ, ut & sapientiæ, ac potentiæ in hoc sacrificio & sacramento summa, & clausula est. Sanctos viros legimus aut nominibus, aut titulis, aut similibus rebus restata posteris voluisse beneficia, quę accepiſſent à Deo: & ambitioſi exstare voluerunt monumenta rectè factorum, aut dictorum, aut scriptorum. Quidni Deus fecerit insignem memoriam mirabiliū suorum? Quidni exigere *poni se ut signaculum super brachium, & cor nostrum x? ut fasciculum mirrhæ inter ubera commorantem y* nam Eucharistia memoriam continet mirabilium; nil vero mirabilius passione, ac tormentis Christi. Diceres triticeum numilma Christi esse consecratam hostiam, in qua sint impressa omnia mirabilia simul cum præsentia ipsiusmet, quia ea sive patravit, sive tulit. Sumtam Eucharistiam pia anima veluti traiicit & insanguinem convertit compassionis, tùm sanguis migrat in lac devotionis, quo Christum ipsum quodammodo suaviter inter ubera pascat: suavi grataque memoria illius. Re-

m 2. p. q. 41 circa art. 1. In Eucharistia mysterium incarnationis, passionis, &c. repræsentatur.

n Esr. 9. 14

o Osea 11. 4.

p Prov. 23. 1

q Osea 14. 6 7.

r Clement. fi Dominum de relig. & venerat. sanct. Ecclesiast. 45. 16.

Panes propositionis duodecim erat pronumero tribuum.

r Lev. 24. 5. 6. 7. Philo. 3. de vita Moysi. Josephus 3. antiquit c. 10.

u 2. de templo c. 11.

x Cant. 1. 6. y c. 1. 13. Eucharistiæ perfectio- nes & encomia.

degit quodammodo Deus res toto sparsas majore mundo in hominem, ceu in parvum mundum μικρόκοσμον, sapores omnium escarum in manna, omnia gratiæ charismata in animam Christi; omnia præcepta in unum charitatis: Verbum creatum, scriptum, revelatum, in unum *abbreviatum a*. Sed quod ad præsens pertinet institutum, omnium mirabilium effectio tendit ad confirmandam fidem, spem erigendam, fovendam charitatem. At hoc est mysterium fidei, ac in illo facile est cetera quæ creduntur, invenire de Deo, personis, incarnatione, passione, resurrectione, ascensione, Ecclesia, sacramentis, communione sanctorum, vita æterna. Quid autem non speres ab eo, qui semel cibum tibi dedit? Profectò præbebit se objectum felicitatis, & ad suas illas admittet delicias, qui *suas* deputat *delicias, esse sic inter filios hominum*. Nec amoris majus fingi signum potuit quam tam admirabili ratione velle iis conjungi, quos amabat *b*. Sed & multiplices veterum sacrificiorum formas contulit in hoc unum sacrificium. Nam, ut alibi attigi, pro animalium victimis, Christus Deus & homo vivus, & verus est: pro immolationibus & oblationibus frugum, & rerum alia- B rum similium; quæ frangebantur, & molebantur, panis, & vini species: pro liquoribus olei, & vini specie: modos item cruenti sacrificii, virtute ac eminenter, ut loquuntur, hic visitur; quia sanguis ex vi verborum seorsim consecratur; ratio vero incruenti per se atque formaliter illi convenit: partim frangitur secundùm species; partim non frangitur secundùm rem illis contentam: tandem convenit sacrificio isti esse holocaustum ad honorem Dei: & protestationem servitutis nostræ: esse hostiam pro peccato, ut remittatur culpa, & pœna; esse propitiatorium, ad placandum Deum: esse hostiam pacificam in gratiarum actionem, præcipuè pro passionis, ac redemtionis beneficio: esse impetratorium, quia in illo Christus offertur, per quem impetrantur omnia. Hoc Ecclesia ipsa in quadam oratione profitetur, *Deus qui legalium hostiarum differentias unius sacrificii perfectione, sanxisti*, &c. Ita dici potest secundùm quamdam analogiam de Eucharistia, ut sacramentum est, in ea reliquorum sacramentorum non modo veteris legis, sed etiam novæ, epilogum quemdam esse, scilicet secundùm emi- C nentiam. Nam baptismus, exempli gratia, regenerat in Christo: Eucharistia nutriendo consummat illam unionem: Pœnitentia delet peccata commissa post baptismum: Eucharistia id facit quandoque saltem per accidens, & perficit effectum illum baptismi, purificando magis animum, tollendo venialia, minuendo fomitem, præservando à peccatis: Confirmatio confert robur fidei; Eucharistia tribuit auxilium ad idem, & ad resistendum tentationibus, hostibusque fidei: Extrema unctio tollit reliquias peccatorum, & in mortis periculo corroborat: Eucharistia, quatenus viaticum in simili necessitate juvat: Ordo aptat ministros, ut ipsi serviant in sacris: Eucharistia conciliat reverentiam in Deum, & amorem erga proximum; Matrimonium confert gratiam ad castitatem, concordiamque conjugalem, & ad prolem generandam; Eucharistia generat virgines, & Christo tamquam sponso copulat. Lege nostrum Suarez *c*. Etsi vero μνεία non significet propriè *memoriale*, sed *memoriam*, & *memoriale* potius dicatur μνημόσυνον, tamen potest & *memoria* sumi pro *memoriali*, ac vulgo etiam ita loquimur. D

a Esa. 10. 22. 23.
b Prov. 8. 31.
Eucharistia reliquorum sacramentorum analogicè epilogus.
c 3. p. to. 3. disput. 40. sect. 1.

Misericors, & miserator Dominus.) Hieronymus, *clemens, & misericors Dominus*. Hæc eadem epitheta sunt in psalmo 85. *d* & 12. *e* præterea in 11. *f* & 143. *g* sunt Hebræa חנון ורחום *channun verachum*, quæ postponuntur in psalmo 85. & 102. & secundùm nomen importat eum, qui misericordiæ visceribus commoveatur, velut, pia mater. Quamquam synonymè sæpe ponantur ista nomina duo, quemadmodum & *misericordia*, atque *miserationis*, & geminatio auget, vimque habet superlativi, ut *misericors, & miserator*, significet eum, qui maximè misericors est, quique omnia exercet erga nos misericordiæ genera. Nemo, ait Augustinus hoc loco, talem escam daret, de qua paullo post, nisi *misericors, & miserator Dominus*. Quod si tantam dedit huic vitæ, infert idem, si Verbum carnem factum,) nota quam disertè loquatur de reali præsentia Christi Eucharistia) peccator justificandus (qui in hac vita justificatur, non quia per se per Eucharistiam justificetur, cujus non est hìc per se, ac formalis effectus accepit: quid in futuro sæculo glorificatus accipiet?) Ex eodem natos utero, ac præsertim eodem fusos partus gerere inter se, inimicitias, minus ferendum est, ut accidit inter Esau, & Jacob, licèt hic non esset in caussa, vel culpa. Eodem vocabulo vocant Hebræi *misericordiam*, *uterumque* ac, ut ante dixi, vocant *viscera misericordiæ*. Propterea indignatus Deus dixit, *h*, *Super tribus sceleribus Edem*, Idumæorum, qui ab Esau ita cognominato, cognomen id retulerunt, & ut modo dicebam, eodem tempore prodiit cum Jacob ex matris utero) *& super quartum non convertam eum, quod persequutus sit in gladio fratrem suum; & violaverit misericordiam ejus*. μήτραν, *vulvam*, רחמיו *rachamau, vulvas*, sive *viscera*, aut *misericordias ejus*, seu *viscera*, quibus debebat eum prosequi.

d vers. 15.
e vers. 8.
f vers. 4.
g vers. 8.
Realis præsentia Christi in Eucharistia.
h Amos 1. 11.

Vers. 5. (Escam dedit timentibus se,

Memor erit in sæculum testamenti sui:

JAm dixi versum hunc ita contexi, quia continet hemistichia orsa à litteris ט *teth*, & י *jod*, quamvis prius hemistichium ad integrandam sententiam jungi soleat ab aliis cum versu præcedente. Quod faciunt etiam præsertim explanantes de Eucharistia, in qua Deus *fecerit memoriam mirabilium suorum* cum singulari quadam, & maxima misericordia, quemadmodum antea quum dedisset manna, quod præfigurabat Eucharistiam. Ergo escam manna, intelligit, & Eucharistiam datam colentibus Deum. Dicit præterea, Deum promisisse memorem se futurum pacti, quod inierat cum populo suo quemadmodum ab eodem exegerat, ut ille memor esset mirabilium operum, quæ fecerat, conducendo ipsum de Ægypto, ac deducendo per desertum usque ad terram promissam. Intelligi adhuc potest *esca* nomine victus totus, quem suppeditat Deus peculiariter cultoribus suis, quos *non delinquit, nec semen eorum quærens panem i*. Immo quum opus est, novo aliquo miraculo supplet defectum humani subsidii, ut exempla Eliæ, atque Danielis præter alia tam multa, docuerunt. Complectitur Euthymius hunc ultimum sensum, ac præterea de rationali, spirituali, cœlesti animæ cibo, item de pane mystico. Quia vero communem escam communicat Deus etiam non timentibus eum, sed improbis, *Solemque suum oriri facit, ac pluit super injustos k*. Idem Euthymius atque Nicephorus, & ante istos Basilius, atque Chrysostomus, interpretantur de spiritali esca: & Chrysostomus exprimit doctrinam per sermonem, eruditionem, omnem Philosophiam, hoc est, institutionem de moribus, & pietate. Hesychius ex Græcis accipit quoque de pane cœlesti, seu vitæ, quam vocant Eucharistiam. Quæ est recepta Latinorum interpretatio. Proponitur & hæc ipsa esca malis, non tantùm bonis, quemadmodum & doctrinæ panis. Quocirca quod *timentibus se* Deus dedisse dicitur, sensus est, quia propterea dedit, ut excitati memoria tot mirabilium, ac nominatim talis escæ, timerent homines illum; eique servirent: sicut inter homines cernimus alios provocari hujuscemodi beneficiis: immo & bestias ipsas, ut suos vereantur benefactores, & nutritores. Vel per *timentes Deum* intelliguntur hi, qui verum Deum colunt, etiamsi aliquando moribus integris non sint. Hebræo quidem populo Deus adhuc rudiori pollicebatur bona terræ fere sola. Christus quoque jussit suis deponere sollicitudinem talium rerum, promittens adjiciendas ad cumulum regni cœlorum, & justitiæ, nec defuturam Patris cœlestis providentiam *l*. Ut autem comprimeretur Hebræorum arrogantia, notat Chrysostomus quemadmodum nominavit prius Propheta *miseratorem, & misericordem Deum*, ita nunc affirmare, in largiendis hisce beneficiis habere rationem pacti, promissique sui.

Sensus loci.
i ps. 36. 25.
k Matth. 5. 45.
l Matth. 6. 34.

Escam dedit.) Alii, *prædam, spolia*: & interpretantur de ea præda, spoliisve, quæ secum abstulerunt Hebræi *m*, quum egressi sunt ex Ægypto. Vel in genere suppeditata à Deo liberaliter convenientia vitæ sustentandæ. Theodoretus recitans aliorum Interpretum translationem θήραν, *prædam*, ait utrumque nomen proposito convenire, nempe illud, & τροφὴν, quod habent LXX. quoniam velut ad paratam prædam ad hostium divitias cucurrerunt, satisque cibi hinc compararunt. Bis id accidit, quod attinet ad Ægyptios, & in egressu Hebræorum ex Ægypto, & quando mersi sunt Ægyptii in mari rubro *n*. Hæreditas quoque gentium, quam paullò post dedisse Deus canitur, posset sub eodem *prædæ* vocabulo comprehendi, simul cum tot victoriis reportatis de hosti- A bus. Significat טרף *tereph rapinam, prædamque*. Per *prædam* redditur alibi *a* aliquoties, sed *prædam* ad cibatum quæsitam: quandoque etiam per *escam*, *b* & *cibum c* τροφὴν Græcos mutuatos ex dicta voce טרף *tereph*, Hieronymus *d* docet, ubi habetur in ps. 131. * *Viduam ejus benedicens benedicam*. Græcè χήραν, alios legere θήραν, & Hebraicè צידה *tsedah, cibaria*, vel *venationem*, Ægyptiis tamen moris esse *far* θήραν vocare corruptè *atheram*. Quivis cibus præda quædam est, quia labore, ac sudore paratur, ex terra decerpitur, vel ex discerpto animali, multisque modis veluti discerpitur, priusquam in substantiam vertatur comedentis: non raro etiam vivitur ex rapto, unusque ebrius est, alio esuriente, quem necessaria privavit esca, aut vim inferendo, aut egenti negando: venatu præterea multi, priscis potissimùm temporibus victitarunt, quod suavis quoque cibi genus est. Mysticus Eucharistiæ cibus præda dici potest, quam ob prædictionis certitudinem datam jam, præteriti temporis forma Propheta canit, ut contra Hebræos adnotat Burgensis. *e* B Agitatum Christum & æstuantem amore prædæ similem venatu captæ existimare possumus, de quo illud, *Ad prædam f ascendisti fili mi*. Ipso amore tamquam fune, ac reti captus est, atque sagitta, & spiculo vulneratus. Fecit hic idem amor, & commiseratio nostri, ne se Christus à nobis abesse pateretur: sed præsentem exhiberet *usque ad consummationem sæculi g* hìc in Eucharistia. Denique vox Hebræa *carnem cibum, & carnem à feris vi raptam* significans, denotat Corpus Christi à feris Judæis vi raptum crudeliterque dilaniatum, nobis vero in escam propositum. Igne vicissim amoris coquenda nobis eadem præda, ut sumatur, & ejusdem calore concoquenda, & digerenda. Sed imitandus lupus, qui capta priusquam fruatur præda, egerit ore prius terram, qua præ alterius inopia cibi pastus fuerat. Adhibe lactucas agrestes, fel, acetumque pro condimento, videlicet sympathiam ad Christi passionem, & dolores, Christum, ut prædam persequi videbantur, qui sequebantur peregrè etiam per triduum super quibus misericordia ille motus, escas divinitus concessit *h*, dandæ postea typum Eucharistiæ. Qui tam delicata, pretiosaque alimur esca tam sæpe, misericordiæ, charitatisque succo pleni esse deberemus.

m Ex. 12. 36.
n Ex. 14. 18.

a Gen. 49. 9. 27. Prov. 31. 15. Esa. 31. 4. Amos 3. 4. Nahum 2. 13.
b ps. 102. 21.
c Mal. 3. 10.
d in tradit. Hebr. in c. 45. Genes. vers. 15.
Cibus quivis præda quædam est, & quare.
e 2. par. serm. 1. in i. [d. 3. c. 15.]
f Gen. 49. 9.
g Matt. 28. ult.
Ad Eucharistia sumendam exacta requiritur conscientiæ dispositio.
h Matt. 14. 15. & seq. e. 15. 32. & seq.

Timentibus se.) Exposui qui per *timentes Deum* intelligantur. Alibi præterea notavi designare Gentile, qui lege naturæ Deum verum coluerunt, tùm scilicet quando in scripturis junguntur vel opponuntur Judæis qui peculiari lege ad id tenebantur Eucharistiæ maxime venerabilis esca rectè dicitur *data timentibus*, ac venerantibus Deum, quum ante illam angeli ipsi visi sint summa veneratione astantes, & procumbentes. Paulus Burgensis antea citatus in alio opere, in additione ad hunc Psalmum contendit omnia jam inde à primis psalmi verbis hucusq; convenire Sacramento, & Sacrificio Eucharistiæ, pro quo Propheta confiteri se velle profiteatur Deo, & gratias agere in toto corde. Addi posset peccatori sumturo Eu- D charistiam, peccatorum præmittendam confessionem, Nam *in concilio*, seu *in secreto justorum*, idest, Apostolorum, intra cœnaculum instituta est Eucharistia: *& in congregatione*, quia in unitate Ecclesiast. ad quam ordinatur, & quam figurat diciturque Sacramentum unitatis. Deinde *magna opera* sunt duæ consecrationes, in quibus plures, majoresque difficultates cernuntur, quam in creatione. *Exquisita* sunt hæc *opera in omnes voluntates Dei*, hoc est, varii modi quibus distinguunt Theologi voluntatem Dei, spectantur circa Eucharistiam. Præcepit namque Christus *fieri in sui memoriam i*, prohibuit *indignè sumi*, *k* permittit dispensari occulto peccatori, ut ait Augustinus *l*, dedit consilium de eadem sumenda corporaliter, ita ut sub præcepto non teneantur laici sic sumere: tandem prout velle dicitur Deus, id quod fit, voluntas Dei cernitur in Eucharistiæ institutione facta, & in ejusdem usu. Quod penultimo asserit Burgensis, falsum est: atque ex verbis Christi *m*, *nisi manducaveritis*, &c. colligitur præceptum de corporali sumtione, non de re tantum sacramenti, sive sint laici, sive alii. Tametsi non est certum esse divinum præceptum de hac re: Est longe probabilius, & magis consentaneum. Trident. Concil. *n*. Lege Suarez nostrum *o*. Subdit Burgensis, quod opus Dei est *confessio*, quia sacrificium laudis, *& magnificentia*, ob magnitudinem mirabilium in eodem contentorum: dici autem singulariter unum opus, quoniam licèt sint plura propter duas consecrationes, est tamen unicum A formaliter, & perfectivè. Præterea docet dici quod *justitia Dei manet in sæculū sæculi* quia per hoc Sacram. confertur justitia, sive gratia, vitaque spiritualis. Tandem quod *memoriam fecit Deus mirabilium suorum*, quoniam aliæ figuræ præcesserunt, ut oblatio Melchisedech, agnus Paschalis, &c. Item, ut esset monimentum passionis Domini præsertim. Sic *memoria facta* intelligitur, ut præterita redigerentur in memoriam, & intelligeretur quam aptè responderit figuris veritas: item ut extaret memoria & repræsentatio Christi passionis eximiæ, atque mirabilis. In gratiarum actione pro cœna solent Clerici versum istū recitare, *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus escam dedit timentibus se*, ut ex præsenti beneficio excitentur ad memoriam aliorum, & quoniam in vi cibis ad alendum communicata, & facultatibus animæ ad digerendum atque transmutandum, cum effectu, qui consequitur, apparent veluti quotquot sunt in natura mirabiles mutationes.

Peccatori sumpturo Eucharistiá confessio præmittenda.
i [Eucharistia sacramenta unitatis.]
k Luc. 22. 19.
l 1. Cor. 11. 24. 1. in ps. 21.
m Joan. 6. 54.
n Sess. 13. c.
o 3. p. tom. 3. disp. 69. sect.

Memor erit in sæculum testamenti sui. Hieronymus, (*me-* B *mor erit in sempiternum pacti sui*, idest, quod promisit, hoc & præstitit, & præstat, & præstabit, & præstare solet. Symmachus vertit in participio præsentis temporis μεμνημένος *recordatus*. De testamento, pacto, promissione dandi terram Chanaam, & procurandi convenientia vitæ corporalis, & sub eo typo ea quæ spectant ad legem ac statum Evangelicum, & vitam æternam, intelligitur hic locus: præterea de propagando semine Abrahæ temporaliter, sed multo magis spiritualiter. Ipsimet Eucharistiæ tribuitur nomen *testamenti* tùm novi, tùm æterni, quia non erit aliud Sacrificium post istud, & vim habet introducendi in vitam æternam. Rickelius addit promissiones Christi, quod *fulgebunt justi sicut Sol p*, *non nubent neque nubentur, sed erunt, sicut Angeli Dei*, *q* ut *ubi ipse est, sint* & *ministri ejus r*. *Has promissiones habentes* hortatur Apostolus *s*, *mundare se ab omni iniquinamento carnis. & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei*. Oremus, & C nos ut digni efficiamur promissionibus istis Christi.

p Matt. 13. 43.
q cap. 22. 30.
r Joan. 12. 26.
s 2. Cor. 7. 1.

Vers. 6.) Virtutem operum suorum annuntiabit populo suo,

Vers. 7.) Ut det illis hæreditatem gentium: opera manuum ejus veritas, & judicium,

JUxta distinctionem Biblicam hi duo versus sunt satis inæquales, & qui sextus numeratur potius censeri debet hemistichium, quod etiam incipit à littera כ *chaph*; sequens longior componitur ex hemistichio, cujus initiū est ל *lamed* & ex altero inchoato à *mem*. Ait autem David hoc modo Deum testamenti sui memorem semper futurum, seu fœderis, pacti, promissi facti cum Abraham primùm, deinde cum Isaac, & Jacob, deinceps cum aliis de danda terra Chanaan, quæ vocata est etiam *terra promissionis*, quoniam ut compleat quod promisit, & toties D conculcando prædixit, ut observat Chrysost. manifestabit coram populo suo virtutem, vim, potentiam, fortitudinem operum suorum. Hujuscemodi opera fuerunt, præter ea, quæ contigerunt in egressu de Ægypto, ac in deserto, postquam incepit populus ingredi dictam terram, à Gentibus prius velut hæreditatem, possessam, Jordanem aperire, & convertere retrorsum *t*, mœnia Jericho tubarum clangore diruere *u*: sistere Solem, Lunamque ad imperium Josue *x*, hostes demisso de cœlo grandinei lapidis imbre conterere *y*: duce Debora victorias reportare *z*, gigantem jactu lapidis quem puer intendit, sternere *a*. Quia ipsa in re, & in tradenda possessione ejus regionis, quam gentes prius aliæ possidebant, nemo in dubium debet revocare justitiam Dei: Summam servavit, & justitiam, & fidelitatem, hanc præstando quod promiserat, illam, puniendo gentium illarum iniquitates, nec tamen antequam hæ ad certam mensuram pervenissent, & expectati tamdiu ad pœnitentiam impii, patientia Dei abusi fuissent. Longe illustriora declarata sunt potentiæ divinæ opera à vivente inter mortales Christo, ab eodē suscitato, ab ejusdem discipulis postquam ascendit, misitque Spiritum sanctum, & fidelibus universæ terræ dominium tradidit quam latè patet Ecclesia. Postremo Christi opera quæque per merita & gratiam illius gesta sunt, geruntve, sunt *veritas, & judicium*, id est, vera, non ficta, & imaginaria, cum recto judicio, con-

Sensus loci.
t Josue 3. 13. ps. 113. 3.
u Josue 6. 20.
x c. 10. 12. 13.
y vers. 11.
z Judic. 4. & 5.
a 1. Reg. 17. toto.